



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 2. ex operatione cognosci animam esse velut genus formæ ab
aliis diuersum, ad tex. com. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

interpretatur ad cap. 3. lib. 2. de animal. ortu) intelligi voluerint animal in actu 2. quo sensus & intellectus operationes animalis proprias habeat. Ac præsertim sensus, quo anima primò constituitur, vt in textu 16. docebitur. Alexander enim actum secundum motus animaduertens, moueri dixit nõ per se, sed velut alterius animati, hoc est matris portionem. Habere autem animalis formam, atq. ad eò in humana specie intelligentem; manifestum est, tum ex eo motu, tum quia si quando est in vtero animas illas non suscipit, ac sentientem præsertim, quæ feminis actione producitur, nunquam profectò acciperet. Adde, materiam sufficienter esse dispositam ad formam eam suscipiendam: fierique nõ posse, vt non accedat forma. At inquit, cur diutius retinetur vtero, si viuut & animal est? Cur non statim prodit in lucem? Plura omnino requiruntur, vt res quæpiam conferuare seipsam possit, ac suam tueri naturam, quàm vt primùm eam accipiat. Pluribus opus habet animal, vt extra vterum viuat. Pluribus, vt operetur & actum secundum promat. An non animal in lucem quoq. editum principio imperfectum est, neque propter corpulenti inbecillitatem, organorumque imperfectionem operationes complures potest perficere? quibus ætate procedente perfectis, magisque elaboratis exequitur omnia. Ita igitur ab imperfecto ad perfectum sensum progrediente natura crescebat primùm inanimatus fœtus. Deinde paulò magis elaboratis organis accedit vita plantæ, sensus adhuc expers. Tum sensum quoque accipit & motum: vtero tamen adherescens velut plantanimalia terræ, ac lapidibus: & tandem in homine mentem quoq. rationis compotem. Adhuc tamen vtero retinetur, vt magis ac magis perfectus, partibûq. omnibus expolitus & confirmatus in lucem post prodians & vitam suam tueatur commodiùs, & quâ optimè operetur. Verù de his alibi pluribus.

Digestio II. ex operatione cognosci animam esse, velut genus forme ab alijs diuersum.

Cæterum illud hoc loco etiam atq. etiam considerandum est, Aristotelem in anime natura peruestiganda eandem planè rationem, quam in cæteris omnibus naturæ partibus, tenuisse. Ex sensibus enim & operatione vbiq. philosophatus est. Nunc verò maximè, vbi animam animatorum corporum formam proponebat. Nam forma latens, nõstròq. sensus effugies ex manifesta & cõspicua operatione cognoscitur. Accepit autem nutritionem & accretionem, velut operationes tum primas, tum notissimas & animatis omnibus communissimas. Complures autem operationes obseruamus, quarum principium sit forma. Nam in eo operationum genere, quod in aliud subiectum transit, ea principium est agendi in aliud à se distinctum, efficiensque rationem subit. In ijs verò, quæ immanentes dicuntur, principium est agendi, vel in se ipsa; vel in eo, in quo ipsa est. Atque in his aut idem quidem est principium & subiectum actionis, sed diuersum obiectum, vt in visione, & alijs eiusdem generis. Aut idem quoque obiectum, vt in intellectuone persæpe, dum seipsum considerat intellectus, suamque contemplatur naturam. Quamquam hæc ipsa operationis forma in materialibus item & corporeis rebus, si non per se primo, vt in immaterialibus & spiritualibus, quæ con-

A uertere se in seipsas possunt; certè ratione diuersarum partium obseruatur; dum earum vna mouet, altera mouetur, vt in elementorum motu de loco ad locum; aut forma, quæ est in toto corpore, dat illi actiue motum ratione vnus partis, & ratione alterius tribuit virtutem passiuè se mouèdi. Quod solius animæ ita videtur proprium, vt iam nomine anime formam eiusmodi quampiam intelligamus, quæ operationum harum possit esse principium.

Iraq. cum manifestum sit quædam esse entia, quæ eadem parte & moueant & moueantur; vt videre est in animalibus: aliquam constat oportere in ijs esse formam illius operationis principium. Atque hanc animam appellamus. Ita motu verò dixit Philosophus in tex. 19. lib. 1. Animatum differre plurimùm ab inanimato. Etenim inanimæ omnes formæ necessariò, & quàm maximè possunt mouent, nec intermittunt vnquam. Et verò etiam suis omnibus viribus operantur, nec vna operari possunt altera quiescente. Sed & ignis dum calefacit siccat quoq. & alia eodem modo. Vnicam etiam habent operandi formam: etsi loco mouentur, ad eundè semper terminum, eandemq. situs differentiã tendunt. Ac demum licet veram habeant operandi facultatem: per eam tamen nullum aliud præter operationem influxum habent. Anima vt est perfectior, & magis habet rationem actus, ita dominũ suarum operationum retinet, atq. in eas influxũ. Propterea & pluribus modis mouet, & ad omnes situs differentias, atq. in proprio quoq. & naturali loco. Hoc nimirum intellectu moueri à seipsis proprium esse dicitur animatorũ in tex. 29. lib. 8. Phyl. & tex. 72. lib. 1. de Cælo: solã animata differentias situs habere in tex. 9. lib. 2. de Cælo. Quoniam ea sola à seipsis omnem in partem mouentur.

Cæterum hæc operandi libertas non eodè modo animabus omnibus inest. Ea, quæ vegetat, omnium maximè materialis & naturalibus cæteris formis proxima vix vllam videtur habere libertatem. Sed ijs omnibus positis, quæ forinsecus requiruntur ad operandum, operari necessariò. Non agit tamen quam maximè potest. Sed dum nutrit, in cibum agit iuxta debitam ipsius proportionem: certumque habet & constitutum terminum, ad quem promouet. Et vt plurimum habeat alimentũ, nihilò tamen magis alit. Reliquæ facultates, quarum altera auget, altera sibi simile procreat, non semper, sed statis temporibus operantur. Denique non vitur simul hæc anima omnibus suis viribus. Sed quasi libertatis cuiusdam particeps agit primùm radices, deinde producit truncum, tum emittit ramos. Primùm nutrit, deinde auget, tum aliud sibi simile procreat. Et dum auget maiorem aliquando adfert quantitatem, aliquando in minorem contrahit, aliàs in eodem consistit statu. Quod in plãtis facillè animaduertas: quæ cum non amplius augentur, si præcidantur, vsque ad certam molem restaurantur. Neque hæc omnia simul & continuatè fiunt; sed primùm attrahitur alimentum, deinde alteratur & coquitur, tum omnes in partes distribuitur, post in earum substantiam mutatur, denique augentur omnes non vna aliqua, sed omni prorsus dimensione.

Id in sentiente anima magis est manifestum. Ea duabus in rebus vegetantem superat. Quod & in motu de loco ad locum summa potuit libertate (quam ob causam incessus & progressio peculiari vocabulo nuncupatur) &

E E

Pe mota differant animata ab inanimatis.

Anima vegetantis operationis modus.

Anima sentiens.

Intellectus in vtero habere sensum.

Quomodo Aristoteles animam naturam respiciat.

Quoniam autem est corpus huiusmodi (vitam enim habens) non fuerit unquam corpus anima. Non enim est eorum, que in subiecto, corpus: magis autem in subiectum & materia. Necesse igitur animam substantiam esse ut formam corporis naturalis potestate vitam habentis.

COMMENTARIUS IIII.

Propius iam ad animæ rationem accedens, ex omnibus illis diuisionibus, quas hactenus proposuimus, quidnam ea sit colligit. Et accipiens tãquam notum animam esse substantiã; Nec tamẽ esse cõpositum. Quia cõpositum est id, quod operatur, quod subsistit, quod habet animã verò id potius, quo hæc omnia cõstant. Ostendit solum eam non esse corpus, hoc est materiam seu partem cõpositi materiam à forma diuersam, quæ formam ipsam suscipit. Nam in corporibus animatis & viuẽtibus, de quibus in superiori textu loquutus est, corpus vim habet materia. Itaq; alia prorsus est hoc loco acceptio corporis, quam antea fuerit. Nam antea significabat cõpositum, nũc alteram significat cõpositi partem: quam tamen appellat corpus, quoniam & ipsa cõposita est. Id verò satis licet colligere, tum ex Græca voce. Nam vt antea significaret cõpositum, dicitur *σύνθετον*: at nũc vt partẽ indicet cõpositi, *σύνθετον* nominat absque articulo, qui vt optimẽ adnotauit Philoponus, vim habet significandi determinatum aliquid, & actũ iam constitutum. Tum etiam ex ratione, quæ probat animam non esse corpus.

Ea duplex est. Altera; corpus viuẽs & est corpus, & est tale corpus, quod corpore cõlter & vita, tanquã subiecto & forma seu perfectionẽ. At anima nõ est corpus, est igitur perfectio potius quãdam velut forma corporis. Præsertim quòd viuẽtia à non viuẽtibus differat, nõ quòd sint corpora, sed quòd sint talia, quæ vitam habeant. At per animã talia sunt; anima igitur est aliquid aliud à corpore diuersum. Corpus item anima dempta non minùs dicitur esse corpus; viuũ & animatum non dicitur; anima igitur non est corpus, sed vita tanquam forma & actus corporis.

Alterã ratio est. Corpus non est in subiecto, quin subiectum potius & materia, quæ perficitur & suscipit aliud. Subiectũ quidem cõparatione accidẽtium, materia autem cõparatione formæ substantiæ. Aut non subiectum modò dixit, ne animã putares formam esse corporis accidentariam. Sed & materiam addidit, vt essentialẽ formam intelligeres. Aut demum subiectum quatenus suscipit formã, & materiam quatenus simul cum ea tanquam potestas cum actũ componit cõpositum. Anima verò est in subiecto: non inhzendo, vt accidẽtia; sed tanquam perficiens & constituens subiectum. Siquidem corpus, quod suapte natura & cõditione inanimatũ erat & carens vita, animatum sit & viuens aduentu anima. Anima igitur non est corpus, sed forma naturalis corporis potestate vitam habentis. Etenim formæ propriũ est actuare, perficere, determinare, & constituere hoc aliquid. Et hoc anima, quæ hæc adfert corpori, illius formæ censeri debet. Et rursum, quia non aduenit omni corpori, sed naturali dũtaxat: & illi, quod animari potest, & eam suscipere: sicut quælibet forma non nisi materia aduenit, quæ sit ad eam admittendam apta: verissimẽ dicitur esse forma corporis naturalis potestate vitam habentis.

Tertiam rationem addit Themistius. Anima & corpus faciunt vnum; non vt partes quãtã & integrantes. Quoniam si ita esset, Anima esset extra corpus. Et ideo corpus non esset animatum, neq; nutriretur, neq; aueretur. Neq; quemadmodum elementa faciunt corpus mixtũ; quia elementa nõ remanent integra in mixtione; sed aliquã sui partem amittunt: Anima autem & corpus integra profus conseruatur vnita. Verũm sicut materia & forma. Hoc enim tertiuũ superest cõpositionis genus. Alterum igitur horum oportet esse materiam; alterũ formam. Corpus non dixerit esse formam animæ. Relinquitur igitur animam esse formam corporis: & ideo ex illis fieri vnũ, vt ex materia & forma substantia: animamq; esse substantiam velut formam corporis naturalis potestate vitam habentis.

Quartam Philoponus in præmio totius huius operis, corpus omne sua natura est dissolubile ac partibile: sustentatione igitur opus habet: animã autem est, quæ illud sustentat. At si ipsa sit corpus, alia indigebit sustentante: atq; ita in infinitũ progrediamur, quousque animam inueniamus, quam corpus non sit.

Quinta eiuẽdem interpretis fuit. Nullum corpus simul & eodem tempore contraria suscipit, anima verò suscipit, dum simul album & nigrum vidit, & alia cõtraria simul cognoscit & iudicat. Atq; in semine simul omnes omnium corporis partium rationes sunt.

Sexta ratio fuerit. Si anima esset corpus, cum totum viuens sit animatum, viuatur, & nutriatur; fieret nimium corporũ penetratio, vnũque corpus alterum totum permearet. Posset anima liberẽ ingredi, & egredi corpus, ac per se seorsim velut substantia perfecta subsistere.

Septima, Non faceret vnum per se cum materia & corpore; nec esse posset essentialis pars alterius.

Octaua. Non posset esse principium earum operationum, quæ in viuẽtibus conspiciuntur: nisi fortasse ipsa esset corpus animatum. Nulla enim eiuẽsmodi operatio in reliquis corporibus inanimitis cernitur. Id verò si esset, abiremus in infinitum: quippe omne corpus animatum anima oportet esse animatum.

Hactenus duo habemus de anima in hoc textu à Philosopho constituta. Alterũ, animam non esse corpus. Alterũ, eam esse formam & speciem corporis substantialem. Quod ad primum attinet, erit obiter obseruandum, eum etũ substantiam diuisisset in materiam, formam, & cõpositum; non tamen probasse animam non esse materiam illam, quam dixerat non esse hoc aliquid, sed potestatem quandam: verũ potius eam non esse corpus. Siue vt materiam, nõ remotam, sed proximam, acciperet: Siue vt hoc ipsum corpus accipiens tanquam materiam, illud significaret etũ in se sit aliquid actũ, cõparatione tamen animæ tanquam superioris & melioris actus potestatem quandam esse. Siquidem vniuersè materiam posuerat esse potestatem. Et nũc non solum dixit, corpus esse subiectum, sed materia quoq; hoc est, potestatem quandam cõparatione animæ. Quare hoc apertius significas inde statim collegit, animam esse formam corporis naturalis potestate vitam habentis. Corporis inquam actũ per naturalem formam constituti, sed potestate adhuc ad animam. Siue demũ quòd Antiquorum plurimi senserant esse corpus & substantiam cõpositam; mate-

corpus dicitur esse diuersum

animam esse formã

subiectũ esse materia

anima esse subiectũ

Cum nõ probauerit animam nõ esse materiam

riam nullus dixerat esse. Hæc enim est ens potestate, quod ab alio perfici oporteat, commune omnibus, nec operationis vllius principium. Anima verò ab omnibus intelligitur vt actus perficiens, qui der esse & speciem, animataque ab inanimis separet, & plurimas illis operationes adferat. Quam ob causam à nō paucis dicebatur semper moueri.

Digestio III. De Natura Anime.

Quod verò ad secundum spectat. Vt Aristoteles animam vniuersè posuit esse substantiæ formam: sic post illum Galenus in libro, quem scripsit de animæ morum & corporei temperamenti mutua cōsequutione, alijsq. pluribus in locis, de humana potissimū loquutus anima, *ægei*, duntaxat & quatuor qualitatum temperiem esse affirmavit. Quam sententiam tāquam medicorum communem Philoponus quoq. commemorat in Com. tex. 6. lib. 1. & ab antiquioribus hausisse illi videntur. Nam & Aristoxenus Musicus intentionem ipsius corporis quandam velut in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur: & Epicurus misturam quatuor qualitatum, igneæ, æreæ, spiritalis, & alterius, quam nesciuit nominare: & Dynarchus apud Neæcium in secundo Philosophiæ libro, seu Dicearchus, vt mauiit Plutarchus in 1. lib. de Philosophorū Placitis, seu Clearchus apud Theodoretum in 5. lib. de curandis Græcorum affectionibus, harmoniam & conuenientiam quatuor qualitatum, animam esse iam pridem pronunciauerant. Arbitror, inquit Simias apud Platonem in Phædone, esse in corpore nostro intentionem & cōplexionem quandam ex calido, frigido, humido, sicco, cæterisque talibus: horūmq. temperantiam consonantiāq. nostram animam esse: resultantem videlicet in corpore nostro postquam hæc ipsa bene moderatēq. inter se temperata fuerint.

Multis contra disputauit Nemesius, sed minus necessarijs argumentis. Quædam magis efficacia atque ad conuincendum accommodata protulit Alexander in priori lib. de anima cap. 7. Verū illud in primis intelligatur; Galenum in ea, quam paulò ante pronuntiauit, sententiā parū omninò fuisse constantē. Namq. animā interdum dixit esse temperiem potius substantiarum elementorum. Et Comment. 5. in 6. Hypocratis librum de vulgaribus morbis particula 5. & in expositio. 15. Aphorismi libri primi, alijsque in locis ita vitus est suam sententiam exponere, vt non tam primarum qualitatum, aut elementorum temperiem, quàm calorem illum, quem innatum & singulis viuentibus insitum nominamus, voluerit esse illorum animā. Ac demum in eodem illo Commentario 5. & in libro de vtilitate respirationis cap. 5. & lib. 7. de vsu partium cap. 8. & sub finem libri de foetuum formatione apertis tandem verbis confessus est, se animæ substantiam ignorare, neque eam cognitionem Medico esse magnopere necessariam.

Quamquam id, quod pronunciauit, nihil aliud esse animam, quàm natium calorem, si anima intelligens se ponatur, quam esse substantiam omnimortali natura meliorem, & certa fide ac religione persuasum habemus, & necessaria ratione concludimus. Cū & à solo Deo creetur, & per se subsistat, & spiritalis naturæ sit; atque ita separetur à corpore, vt per se sola cohereat. Cuiusmodi fortasse naturam duarum reliquarum vegetatis & sentientis animarum contemplanti probabili fal-

Animam esse quæ innatum spiritum.

Animam spiritum & motorum suum esse calorem innatum.

Argumento disputari posse videatur. Animas enim stirpium & brutorum esse à calore naturali diuersas, nec ex causa videtur satis cognosci, nec ex effectu. Efficaciens namque causa proxima eadem est substantiarum & accidentium. Idemque seminis calor producit dispositiones proximas, quæ sunt accidentia; & viuentium horum formam, quæ est anima. Quin potius si hæc causa spectetur, oppositum concludemus: cū immediatum principium educens animalis formam sit calor seminis. (Quæ enim alia vis reperitur in vltima?) quare si idem est, quod disponit materiam & dat formam; atque principium proximum educens formam & ipsa formaeducta eiudem debent esse natura, anima non erit diuersa à calore seminis. Neque verò finis aliquis reperitur, à quo diuersitas hæc ducatur. Cū enim is adferatur à multis, vt accidentia tam multa, & partes, quæ sunt in viuente, ab vna anima & forma continentur: contra quàm ipsi dicant, res ipsa euenire videtur; vt non accidentia à substantijs, sed hæc ab illis continentur. Eadem enim sunt causæ conseruantes rei & continentis, quæ generantes fuerunt. Quare cū proximæ generantes causæ fuerint accidentia, hæc eadem conseruantes erunt & continentia. Deinde non perit substantia, nisi quia pereunt accidentia, quæ conseruabant. Prius igitur est accidentia contineri & conseruari in materia, quàm substantiæ formam. Quare si verum sit illud axioma; si affirmatio est causa vt sit, negatio erit causa vt non sit, & contra: cū accidentia non contineri nec permanere sit causa, vt nec substantiæ forma continetur, nec permaneat; si hæc retineatur & permaneat, causa illa ipsa erunt. Iam ex materia & forma aut nullum peti potest argumentum, aut certè omnino contrarium. Ex forma quidem nullum. Quia cū viuentium forma sit ipsa anima, erit semper petito principij, idemque prohibetur per se ipsum. Ex materia autem concluditur quod minimè quaritur. Quoniam ex eadem materia producuntur formæ, tam accidentium, quàm substantiæ si quæ dentur.

Sed alteram propositionem argumentationis partem explicabo, nepe ex effectu discrepantiæ animæ & natui caloris nō cognosci. Concedunt Peripatetici nullū esse viuētis opus, quod à calore nō admittitur, sed calorē, inquit, regi & gubernari à superiori quadā virtute, quæ sit anima: At si verum sit alterum illud eorūdem principium, sic a cōtione cognosci formā, sicut passione materiā; minimè dubitandū erit, ex diuersitate actionū diuersitatem cōcludi formarū. Nulla autem est Animæ actio ab actione natui caloris diuersa: Nec ergo intelligi potest aliā esse animā; aliam natui caloris essentia. Vt enim diuersitas actionū diuersitate ostendit causarū agētium, sic vnitas actionis vnitate indicat agētis principij. Et tanē quæ obsecro notari operatio potest, cuius solus & per se auctor nequeat esse naturalis calor. In omni operatione plantarum id ita esse videtur: cū nutritio omnis, auctio, & procreatio aperte satis operā sint caloris. In animalibus, quæ cognitionem habet, appetitionē, & progressionē, res est paulò difficilior. Verū hæc omnes operationes nō sunt effectus caloris, sed habētis caloris. Et quāuis calor vt calor nequeat illas producere; poterit tamē vt est hoc modo cū alijs qualitibus temperatus, & cum certa organi dispositione coniunctus. Neq. enim anima si sit substantia potest sola